



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.28. Mors Guilielmi Batavi Romanorum Regis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

§. XXVIII.

Sæcul. XIII.
A. C. 1256.*Mors Guilielmi Batavi Romanorum
Regis.*

Inchoato hoc anno 1256. Guilielmus Batavus Rex Romanorum misere interiit Frisones bello petens. Dum armatus supra paludem frigore constrictam iter facit, sub pedibus equi sui pariter lorica fracta glacie, quo magis conatur evadere, hoc altius defidit. Superveniunt Frisones, & magno redemptionis pretio nequicquam oblato multis confossum ictibus in frustra concidunt. Talem hic Princeps mortem oppetiit exeunte Januario: de qua edoctum Papam poenitebat scilicet, inquit Matthæus Paris, immensas pecuniæ summas in ejus subsidium infumisse. Timebat etiam, ne parvulum Conradinum in Imperatorem eligerent multi Germaniæ Principes, quos illius Patri Conrado, ac universæ domui Suevicæ centum viginti propemodum annos regnanti favere cognoverat.

*Annual. Ste-
ron.*

p. 793.

Igitur electionis tempus imminere ratus. 28. Jul. 1256. Electori Archiepiscopo Moguntino scripsit in hanc sententiam. Negotii hujus gravitas attentionem singulararem, & maturam deliberationem postulat, præsertim, ut eligatur Vir fidelis ac devotus Ecclesiæ, & cujus Majoris

*ap. Rayn.**n. 3.**Bullar. A-**lex. IV.**Const. 7.*

Sæcul. XIII.
A.C. 1256.

res similiter comparati fuerint. Scis autem, qualem reverentiam Imperator Fridericus, & Majores ejus Ecclesiæ matri suæ exhibuerint, & qualem huic gratiam pro beneficijs acceptis retulerint. Sic illam tractabant, quasi pessundare vel-
lent & crudelitate omnes cæteros ejus hostes superabant. Unde colligi potest, quid sit sperandum, si qua huic familiæ potentia restet, cum arbor mala non nisi malos ferat fructus. Itaque de parvulo Conradino nihil cogitandum, nec ullo modo eligendus is est, quippe qui ob teneram nimis ætatem suam nec consentire in suffragia, nec tueri Ecclesiam, nec functiones regias exercere posset. Quocirca proscriptionis sententia jam nunc in te, ni pareas, lata sancimus, ne illum eligas: & antequam ferantur suffragia, eandem inhibitionem nostro nomine facies cunctis reliquis Electoribus tam sacris quam profanis. Eadem epistola Archiepiscopis Trevirensi & Coloniensi mittebatur. Sed electio sequentem demum anno facta est.

Sup. Lib. 83.

§. 23.

Addit. ad

Lambert.

Pistor. to. 1.

p. 158.

Archiepiscopus Moguntinus erat Gerardus, qui hanc sedem quinquennio tenebat, & a Guilielmo Batavo semper steterat. Hunc Præsulem hoc anno 1256. una cum agnato suo Comite Ebersteinio ab Alberto Brunsvici Duce, quem Comes offenderat, captum, & anni spatio

asser-

asservatum in carcere tandem Richardus Sæcul. XIII.
Cornubiæ Comes, Regis Angliæ frater, A.C. 1256.
in libertatem asseruit, ut Imperator fie-
ret, Electoribus multas largiens pecu-
nias, & octies mille selibris illum redi-
mens, cujus captivitas electionem Regis
Romanorum sine dubio retardabat.

§. XXIX.

Causa Universitatis Parisiensis.

Cum Papa Alexander transactionem
inter Universitatem Parisiensem ac
Dominicanos ex autoritate quatuor Ar-
chiepiscoporum factam comperisset, ad
Episcopum Parisiensem dedit litteras, qui-
bus initium: *Cunctis processibus, & per Vading.*
quas aperte pro Dominicanis contra Do- 1256. n. 26.
ctores se declarat. Hos asperis objurgat *Duboulai*
verbis, quod diploma *Quasi lignum vitæ,* p. 302.
ac Episcoporum, quibus ejus executio
injuncta esset, sententias non observave-
rint; arguitque malæ fidei, quia corpus
Universitatis dissolutum esse causati, le-
ctiones suas meram per malitiam suspen-
derint. Dicit, Fratres invitos & Docto-
rum ludibriis, injuriisque fatigatos per
imprudenciam & sine consensu sanctæ
Sedis iniisse compositionem: Doctores
ipso hanc violasse obstitendo iis, qui
conciones lectionesque Fratrum audire,
vel fratris Thomæ Aquinatis principio
inter-